



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.21. Episcopi in Monasteriis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Carolus Rex felicem eventum, & Sæcul. VIII.  
 conversos ad Fidem Saxones Hadriano Pa- A. C. 785.  
 pæ nunciari iussit, misso Andrea, quem Coint. an.  
 Abbatem Luxoviensem fuisse credunt, 785. n. 12.  
 petebatque, ut Litanias seu publicas  
 Supplicationes imperaret, quibus debitæ  
 Deo Gratia redderentur. Idque Papa  
 lubentissime concessit. Item Rex Papam *Epist. 91.*  
 consuli iussit missis aliis duobus Abbati- *Carol.*  
 bus Itherio ad S. Martinum Turonensem,  
 & Magenario ad S. Dionysium in Fran-  
 cia, quam pœnitentiam injungi oportere  
 Saxonibus, qui relapsi susceptam se-  
 mel Fidem iterum abjecissent. Respon-  
 dit Papa: *Antecessores Nostri decreve-  
 runt, Relapsis in Idololatriam longissimi  
 temporis pœnitentiam esse injungendam,  
 quæ tamen magis contritione cordis quam  
 temporis spatio esset æstimanda.*

Ergo ex Hadriani Papæ verbis di-  
 spicimus, hanc pœnitentiam ex Episco-  
 porum pendere arbitrio, & pensandum  
 an peccator propria malitia relapsus fue-  
 rit, aut a quoquam alio impulsus. Ce-  
 terum Pœnitentes Confessionem Fidei  
 tradant, jurejurando promittant, se ei  
 adhæsuros, & quæcunque Episcopi præ-  
 ceperint, facturos.

§. XXI.

*Episcopi in Monasteriis.*

Quædam exstant Privilegia his duobus *to. 6. Conc.*  
 Abbatibus Itherio & Magenario ab

Sæcul. VIII.  
A. C. 785.  
Adriano Papa concessa, quibus confirmatur facultas habendi Episcopos in suis Monasteriis. Utrumque Privilegium in eadem forma & eodem tempore, id est, mense Junio, Indictione nona, anno septingentesimo octogesimo sexto datum est. Privilegium Monasterii S. Dionysii confirmat etiam aliud antiquius, quod Abbas Fulradus a Stephano Papa anno septingentesimo quinquagesimo septimo impetraverat, & aliunde exploratum est, hanc Abbatiam Fulradi temporibus Episcopum habuisse nomine Herbertum, at Carolo Calvo regnante nullum ibi fuisse.

*Lib. 1. mir.*  
*S. Dion. c. 6.*  
*Mabil. præf.*  
*1. Sæc. 3.*  
*n. 32. &c.*  
*It. Dipl. p.*  
*629.*  
In Monasterio autem S. Martini Turonensis ejusmodi Episcopi duodecim recensentur; nam eam consuetudinem Urbanus II. Papa demum anno 1096. a-  
bolevit. Item tales Episcopi in Monasterio Lobesienfi ad Sambrim, & Hohenovano in Alfatia fuisse leguntur. Id genus Episcopi in Monasteriis non habebant titulum alicujus Ecclesiæ, ea ratione, ut Monasterium & Ditiones ad illud pertinentes Diocesis loco fuissent, sed erant ex numero eorum, qui sine Titulo ordinati leguntur, aut tales, qui relicta sua Ecclesia in Monasteria se recipiebant, ibique tanquam in locis a Jurisdictione Episcopi Diocesani exemptis munere Episcopali fungebantur. Tales Epis-

Episcopi erant Lobefiensis, S. Eugendi, & Eichstadiani, qui in Concilio Attinien-  
 centi anni 765. nominantur. Aliqui eorum erant Chorepiscopi, qui in Monasterio fixam Sedem habebant. Non  
 nunquam Abbas erat illius Monasterii etiam Episcopus, non nunquam alius Episcopus & alius Abbas erat. Aliquando simplices erant Sacerdotes, quibus nomen Episcopi tribuebatur, quia in determinatas regiones ad prædicandum Evangelium missi erant, quales S. Gregorium Ultrajectensem in Frisia, & S. Ludgerum in Westphalia fuisse legimus.

Magenarius in Abbatia S. Dionysii Fulrado anno 784. 16. Julii mortuo successerat, & ex ejus Testamento dispicitur, ipsum, ut ut esset Abbas Regularis, tota vita sua magnas facultates possedisse, & inter alias multos in Alsatia & Brisgovia Fundos, quos sicut & Monasteria ibi a se fundata Abbatia S. Dionysii reliquit.

§. XXII.

*Falsæ Decretales.*

Magenarii Successor in Munere Archiepiscopi fuit Ingilramus, seu vulgo *Enguervan*, Episcopus Metensis, cui tribuitur Collectio Canonum, etiam Nomen Hadriani Papæ præferens, ac si hanc Pontifex Ingilramo decimo tertio Ca-

D d 4                      lend.

Sæcul. VIII.  
 A. C. 785.

to. 6. Conc.  
 p. 1072.

Elog. p. 339.  
 to. 4. Act. ib.  
 p. 341.

Hincm. Op.  
 14. c. 15.

LIV.  
 infirma  
 in suis  
 gium in  
 id est  
 anno le  
 datum  
 Dionysii  
 s, quod  
 a anno  
 septimo  
 um est,  
 bus E.  
 ertum,  
 um ibi  
 ini Tu  
 odecim  
 adinem  
 096. a  
 Mona  
 Hohe  
 . Id  
 on ha  
 ea ra  
 s ad il  
 iissent  
 ine Ti  
 quire  
 e reci  
 a Ju  
 emptis  
 Tales  
 Epis